

05 A 452

05

A

452





POSITIONES  
IN  
Theologia nostrate  
ILLUSTRIORES,

*Adspirante Divinae Benignitatis Favonio,*

SUB UMBONE

*VIRI Summe Reverendi, Magnifici, Ampliss. atq; Excell.*

**DN. JOAN. DEUTSCHMANNI,**

SS. Theol. Doct. ejusdemq; P. P. Famigeratissimi,

Facult. Theol. Senioris Venerandi, ut & Alumnorum

Potentis. Elect. Saxoniae Ephori gravissimi,

*Domini, Fautoris, Mæcenatis, Præceptoris Studio-*

*rumq; Promotoris cum observantia colendi, omnem vitam*  
*suspiciendi,*

In Cathedra B. Lutheri

Audit. Majoris,

Placidæ eiꝰ solenni Eruditorum discussioni expositæ

à

**GEORGIO HEGYFALUSI, Hung.**

S. S. S. C.

Die XXII. April. M. DC. XCII.

WITTENBERGÆ,

Literis Viduæ Matthæi Henckelii, Acad. Typogr.

V I R O

*Summè Reverendo, Magnifico & Excellentissimo*

DOMINO

PHILIPPO JA-  
COBO SPENERO,

S.S. Theol. Doct. consummatisimo,  
Præposito in Electorali Urbe Brandenburgica,  
ac Consiliario Ecclesiastico incomparabiliter merito,  
nec non Pastori fidelissimo, & Vicinarum Ecclesiarum  
Gymnasiique, quod Berolini floret, Inspectori  
vigilantissimo, &c.

*Palantium extra periclitantem Patriam Pannoniam,  
in quorum serie & ego misellus reperior,  
Domino Fautori & Patrono Summo, ad cineres usq;  
æstimando suspiciendo,*

A Deo Ter Optimo Maximo, Patre, Filio & Spiritu Sancto,  
æternam & temporalem salutem ac benedictionem, inconcussam  
valetudinem, pacemq; omnibus piis expetitam humillimè  
ac devotissimè apprecor,


Et specimina isthæc qualiacunq; Academica tanquam  
amoris mei sine fuce sinceri Symbola  
offero & consecro

*Ejusdem Venerandi Nominis sempiternus Cultor*

M. Georg. Hegyfalusi, Hung.



05 A 452



POSITIO I.



Acro-Sancta Theologia, quæ Regina omnium disciplinarum haud immeritò ab exaltioris iudicii Viris nuncupatur, vi nominis sermonem sive doctrinam de Deo & rebus divinis notat, uti *πνευματολογία* doctrinam seu sermonem de Spiritibus, *Κοσμολογία* doctrinam de mundo, *Anthropologia* Sermonem de Homine, *Astrologia* doctrinam de Astris. Dicitur verò ita primariò Theologia *ἀρχέτυπη*, quâ Jehova non modò seipsum cognoscit, in se ipso, sed & extra se universa per seipsum, cum primis revelatam Theologiam ab æterno cognoscit, actu scientiæ individuo & immutabili.

II. Atque hæc Sospitatori quoque competit, tum ratione Deitatis per naturam, tum ratione humanitatis per gratiam communicationis, quæ propriè dicitur Theologia unionis. Deinde *ἐκτυπη*, quam Deus ex illa essentiali causaliter expressam Creaturæ rationali gratiosè communicavit.

III. Datur ergò in Ecclesia, sub Vexillo Christi in his Terris militante, Theologia hyperphysica, estque habitus intellectûs *θεόδοτος* practicus, per Verbum scriptum, à Consolatore nostro homini collatus, de Vera Religione, quâ homo in statu corruptionis, per fidem in Christum, ad gloriam æternam perducendus.

IV. Melioris doctrinæ causâ potest in tres Partes disparti, quarum prima est Theologia partialiter ita dicta, & agit de Dei essentia, attributis, personis & operibus. Altera An-

A

thro-

thropologia, & agit de hominis integritate, corruptione, ac expectatâ restoratione. Tertia Christologia, quæ agit de Persona & officio Christi mediisque reparationis.

V. Non fuit alia Adamitica, Abrahamitica, ac Israëlitica seu V. Instrumenti à Christiana, h. e. N. Instrumenti, sed una eademque, quoad substantiam, Religio. Ad quam amplexandam qui homines, sive sint extra Pomeria Ecclesiæ Christianæ, ut Pagani, Judæi, Turcæ, sive in Ecclesia, ut hæretici, externâ vi cogunt, à scopo Goëlis maximè aberrant.

VI. Suâ luce radiant hæc: Solus Codex Canonicus supeditat propositiones & enunciationes, à quibus conclusiones Theologicæ in esse conclusionum Theologicarum dependent, Ergò solus est genuinum ac proprium Conclusionum Theologicarum Principium, ex quo velut ex domicilio ejus genuino propositiones desumendæ sunt.

VII. Canon autem ille infallibilis, *αὐτόπιστος*, integer, incorruptus, perfectus & perspicuus existit, rectèque norma seu Regula, tum veræ fidei, tum morum elegantiorum, dicitur. Unde consequens etiam est, quod Scriptura, à Prophetis, Evangelistis, & Apostolis divinò jussu consignata, ipsa sit Judex in Controversiis fidei & morum.

VIII. Epistolæ Jacobi, de quâ, ut & Judæ, maximæ moventur Controversiæ, (nam & ii, qui reliquos fermè omnes Novi Instrumenti Libros pro Canonicis habent: de hujus tamen, & quæ Judæ esse dicitur, tum Autore, tum auctoritate, plurimum ambigunt, ac dubitant, unâ cum Apocalypsi Joannis Theologi divini Canonis clausulam egregiè facientis,) auctoritatem divinissimam esse constat.

IX. Cognitio Objecti Theologiæ primarii, & suo modo adæqvati, Dei scilicet explicita omnibus salvandis, omnique tempore tam necessitate mediis, quàm mandati, adeò necessaria.

cessaria est, ut ignoratio sit damnabilis, dubitatio impia, negatio hæretica, & blasphema, oppugnatio diabolica, & adversus Conscientiam.

X. Locus de SS. Trinitate cùm Mysterium pandat supra captum hominum, & rationis nostræ cœcutientis longissimè subvectum, cujus non tantum modus, quomodo esse talia vel fieri queant, sed etiam res ipsa à natura ignoratur, ex sola revelatione supernaturali innotescit, indeque, non ex ratione & naturali ejus Lumine, erui, probari aut oppugnari debet.

XI. Messiam nostrum in Veteri Instrumento promissum, ac in N. T. exhibitum, esse secundam Trinitatis personam, verum, naturalem & æternum Deum, Deo Patri coëssentialem, constantissimè asseveramus.

XII. Opus Creationis quemadmodum ex sola revelatione divina innotescit, ita à nobis creditur, non scitur, nec rationibus & Syllogismis ex pharetra Philosophorum depromptis, apodicticè & evidenter demonstratur.

XIII. Et sicut Deus in essentia unus, & trinus in Personis à principio res universas creavit, ita adhuc etiam providentiâ suâ, ut in esse illo perdurent, efficit, & ad metam cuique propriam dirigit; imò Providentia Dei & conservatio rerum creatarum à parte rei nihil aliud est, quàm creatio quædam continuata. Nec duntaxat universa in esse suo conservat, sed etiam cum agentibus finitis ad eorum actiones producendas immediatè concurrat. Malum autem morale, quod hodiè affatim invenitur in hac turbulentissima tempestate, nec voluit, nec fecit, nec ad illud, quâ tale, concurrat, cùm impossibile sit, ut ille, qui ipsa Justitia & rectitudo dicitur, ullius injustitiæ, aut sceleris vel Autor, vel approbator ullatenus esse queat.

XIV. Angelos, h. e. substantias quasdam spirituales existere, non saltem fides catholica, & utriusque Fœderis innumera loca testantur, sed etiam ipsa ratio naturalis suggerit. Siquidem haud pauci ex Philosophis ethnici, tametsi nullâ fidei luce illustrati, solo tamen rationis ductu id agnoverunt. Quò verò die aut tempore à Deo producti sint, apodicticè demonstrare non valemus.

XV. Protoplasti anima immediatè fuit à Deo creata, Evæ verò, sicut & cæterorū hominum, nec creantur hodiè, neque simpliciter ut corpus, aut animæ brutorum solo naturæ cursu quoad res temporales ex suis parentibus gignuntur, sed per traducem vi divinæ benedictionis à Parentibus propagantur.

XVI. Quemadmodum Adam universi generis humani personam sustinebat, utpotè caput & origo ejus, ita, dum ipse Legem transgressus est, & justitiam primævam, quâ ornatus erat, amisit, tum sibi, tum aliis omnibus ex se nascituris, eam perdidit. Sicut item imaginem Dei ad posteros propagare debebat, ita eandem specie corruptionem & pravitatem originalem in eosdem, solò Christò exceptò, per generationem carnalem propagavit.

XVII. Ex hac radice ac labe originali omnia peccata actualia, velut fructus ex mala arbore oriuntur, & dependent; Quæ in se, & suâ naturâ, mortem & æternam damnationem merentur, nec venialia fiunt, nisi ab accidente extrinseco: Nec talia esse desinunt, etiam si deliberatâ voluntate commissa non sint.

XIIX. Excellit inter peccata mortalia Peccatum in Spiritum Sanctum, diciturque irremissibile, cujus forma consistit in Doctrinæ Evangelii evidenter ac sufficienter agni-



agnita, & approbata, facta abnegatione, ejusdemque hostili oppugnatione & voluntaria blasphematione.

**XIX.** Errant, qui in infantes lac maternum adhuc sugentes, verè & propriè dicta peccata actualia cadere, & ab illis committi, inficiantur.

**XX.** Hominem, qui duabus partibus essentialibus animam nimirum & corpore constat, & in quo anima sensitiva & vegetativa tanquam à rationali distincta non datur, sine dubio post ejectionem è Paradiso nasci servum, & obnoxium peccato, ei que actu ipso etiam inservire, antequam convertatur. Hinc nec intelligere bonum supernaturale, nec velle vel appetere illud, nec Præcepta Dei servare potest, nec ullas vires naturales possidet, quibus vel ad solem suum æternum lucentem converti, vel conversionem suam ullo modo, aut inchoare, aut perficere, aut promovere, sequè ad eam præparare queat.

**XXI.** Deus omnium hominum verè misertus est, omnesque ac singulos interno suo beneplacito vult salvare.

**XXII.** Distinctio voluntatis Dei in Antecedentem & Consequentem, quæ Deus illam universum genus humanum, hæc credentes salvos vult, neque falsa, neque absurda, aut contradictoria, sed verissima, probèque in Scripturæ fontibus fundata est.

**XXIII.** Christus Jesus propter prævaricationes nostras anxie laboravit, usque adeo, ut à Deo cæsus, & afflictus, ac propter iniquitates nostras vulneratus, & propter scelera nostra attritus fuerit.

**XXIV.** Non venisset is in mundum, nec humanam naturam assumpsisset, si Adam in Statu felici perstitisset, ac in peccata prolapsus non fuisset, & per consequens, prima-

ria, proxima, ac immediata incarnationis causa fuit generis humani à nefando scelere liberatio.

XXV. Humanæ naturæ idiomata appropriantur *λόγω* & quidem ita, ut dici, possit etiam in concreto divinitas seu divina natura *λόγος* est in carne passa.

XXVI. Errat, qui sudorem Salvatoris, quem ad radices montis oliveti pro hominibus copiosissimè profudit, verè sanguineum, ejusq̄ve excretionem, aut fluxum supernaturalem & miraculosum fuisse, negat.

XXVII. Christum *Θεάνθρωπον* non duntaxat ante mortem, & post mortem, sed etiam in ipsa triduanâ morte, verum, essentialiter perfectum, & eminenti modo dictum hominem fuisse, & permansisse firmiter asserimus.

XXVIII. Rubicundum ac pretiosissimum Christi sanguinem in Ara lignea computruisse, minimè affirmandum est.

XXIX. Natura Humana divinæ in unitate personæ conjuncta est inseparabiliter, ita quidem, ut nec humana natura sit extra divinam, nec divina unquam aut uspiam sit extra humanam naturam, sed ubi divina est natura, ibi humana quoque sit indivulsè, indistanter & inseparabiliter eidem conjunctissima.

XXX. Sessio Christi hominis ad dextram Dei Patris est dominatio divinæ, infinitæ ac immensæ majestatis, connexa verè cum substantiali præsentia, propinquitate, & adessentia.

XXXI. Lex Supremi Nomothetæ communiter dividitur in moralem, ceremoniam & forensam. Ceremonialis & forensis unâ cum Politia Israëlitarum jam dudum per Christum abrogata est; moralis verò, ut in creatione primò omnibus hominibus indita est, & postea sæpius

pius repetita, ac declarata, ita adhuc omnes ad perfectissimam obedientiam obligat, licet à nemine perfectè in hac Vita impleri, aut per eam salvari quisquam possit.

XXXII. Evangelium autem est doctrina, Legi morali contradistincta, eaquè planè gratuita, de remissione peccatorum, per & propter Christum impetranda. Quod Evangelium unum & idem fuit quoad substantiam, quò omnes Sancti omnibus temporibus fuère justificati.

XXXIII. Verbo Evangelii Deus addidit, tanquam alterum salutis medium *δοτικόν*, Sacramenta, ex quibus duo V. totidem N. T. propria sunt.

XXXIV. Tametsi apertè ad genus Masculinum restringatur circumcisio, & à signo fœderis exclusæ fuerint fœminæ, tamen gratiâ fœderis orbatæ haud fuerunt.

XXXV. Objectum Baptismi homines utriusquè Sexûs, cujusvis ætatis, adeòquè tum mares, tum fœminas, tum adultos, tum infantes esse, luce meridianâ clarius est.

XXXVI. Cespitas, si, per Baptismum, & in Baptismo Spiritum Sanctum fidem veram, salvificam, vivificam & actualem accendere in infantibus, unde & infantes verè credunt, negas.

XXXVII. Ad Theorema: An Christus in Cœna Dominica etiam acceperit suum corpus & suum sanguinem, atquè illa manducarit & biberit? Respondemus inficiando.

XXXVIII. Ex Christi mandato quot quot utuntur, ac fruuntur Cœnâ Dominicâ, debent non solum accipere panem Eucharisticum, sed etiam poculum benedictum.

XXXIX. Corpus & sanguis Christi in Eucharistia sunt realiter præsentia, ita ut cum pane benedicto, & vino

Sa-

Sacramentali edatur & bibatur corpus & sanguis Domini.

XL. Panis Eucharisticus in Corpus Christi, & vinum benedictum in sanguinem ejusdem per consecrationem minimè transubstantiatur, vel convertitur.

XLI. Neque Sacra Coena est externum, visibile, ac propriè dictum Sacrificium propitiatorium, vel impetratorium omnis generis beneficiorum, in quo Corpus & sanguis Domini sub visibili specie panis & vini verè & propriè Deo offeratur, sed est duntaxat commemoratio Sacrificii propitiatorii semel in Ligno à Christo oblato.

XLII. Fides in actu Justificationis sola spectatur, nullo ullius legis, sive Ceremonialis, sive moralis, per vires naturæ, vel auxilio divinæ gratiæ facto opere concurrente.

XLIII. Electio ad vitam æternam non est absoluta, sed in Christo Mediatore natat: omnes enim & solos illos Deus prædestinavit, quos prævidit meritum Christi fide apprehensuros, & sibi applicituros, in quæ eâ fide ad ultimum usque vitæ terminum perseveraturos.

XLIV. In Ecclesiis Evangelicorum datur verus ordo Ecclesiasticus, ac legitima Ministrorum vocatio, & consequenter veri ibi sunt Pastores.

XLV. Est autem Ecclesia militans Lutherana Una, Sancta, Catholica, unum caput Christum habens, cujus notæ externæ, quibus ab Ecclesia spuria discernitur, duæ sunt, prædicatio Verbi & usus sacramentorum, à Christo institutorum, quæ tamen ab Ecclesia tolli queunt, & à persecutoribus nonnunquam impediuntur, ut ipsa oculis corporis videri, & deprehendi haud possit.

Ma-

XLVI. Magistratus Politicus, cui etiam statum Clericalem obedire oportet, non saltem Reipublicæ, sed ipsius etiam Religionis & Sacrorum curam gerere debet, non quidem, ut dogmata & Sacramenta condant, doceat, & administret; quorum illud soli Deo, hoc solis Ecclesiasticis competit: sed ut verum Dei cultum, quod fit variis modis, sedulus promoveat. Adversus quem insurgere nemini fas est.

XLVII. Jus suum prosequi in Foro Politico contra Proximum, etiam Christianum, dum id solum non fiat animo vindictæ cupido, minimè illicitum, sed concessum est.

XLVIII. Ad Matrimonium legitimum, quod peculiariter à Deo institutum est, & omnibus hominibus mandatum, ut qui, & quamdiu singulari continentia dono præditi non sunt, contrahant, requiritur ante omnia consensus, tum proprius personarum contrahentium, isque explicitus, deliberatus, & sine metu, dolo, aut errore circa personam, & alia requisita, huic ipsi operi obicem potentia, tum Parentum, ac eorum, in quorum potestate, vel tutelâ uterque matrimonium ineuntium continetur.

XLIX. Si dirimi posse Conjugium contractum & consummatum, non tantum quoad thalamum & mensam, sed etiam Vinculum per divortium, idque præcipue propter adulterium, tum simplex, tum duplicatum, tum denique incestuosum, cui deinde accedit malitiosa desertio alterutrius Conjugis, & quæ huic æquiparatur, implacabilis sævitas, unde indubitanter vitæ discrimen imminet, asseveramus, veritatis scripturarum orbitam haud transgredimur.

B

Ter-

L. Terminus vitæ non est absolutè fatalis, fixus & inevitabilis, sed unicuique homini à Deo, certo respectu ac ordine, constitutus, ac definitus.

LI. Animæ post excessum, quarum immortalitas lumine naturali, quoad indubitatam apodixin, nota non est, non destituuntur vitâ, nec somnò quòpiam obruuntur, sed vel beatâ vitâ & visione Dei fruuntur, vel in inferno cruciantur.

LII. Resuscitados à Christo & Apostolis in Novo Instrumento, à Prophetis verò in Veteri Instrumento, quorum animas separationis tempore cum piè eruditis in manu Dei esse dicimus, iterùm obiisse certissimum.

LIII. Resurrectionem mortuorum pede pressò sequetur extremum & universale Judicium, nec terrenum Regnum, quod omnis generis deliciis & voluptatibus abundat, ante consummationem Seculi Sancti cum Adamo Secundo per mille Annos in his terris, & Civitate quidem Hierosolymorum suaviter ac dulcissimè transacturi sint, deinceps expectari debet.

LIV. In Consummatione seculi omnia creata, præter substantias spirituales, & homines, conflagratura, & substantialiter interitura fore constat.

LV. Maledictorum æterna damnatio non duntaxat in privatione Visionis Dei beatificæ, quæ vulgò poena damni appellatur, sed etiam in perpetuo cruciata corporis & animæ, quæ poena sensus nuncupatur, consistet.

LVI. Quamquam faciliùs dicere possimus cum Augustino, Patrum augustissimo, L. 3. de Symb. c. 31. quid non sit, quam quid sit vita æterna, tamen descriptio talis in hac mortalitate dari potest, quòd illa sit Status gloriosus, in quo electi, & ex omnium peccatorum ac  
in-

infirmi-  
tatum vorticibus eliberati Christo Capiti suo, ceu  
vera membra plenissimè conjuncti, Deum, cum toto  
Angelorum choro, & universo Beatorum coetu, coram  
intuentur, eumq̄ve perfectè diligunt, ac in omnem æter-  
nitatem celebrant, laudant, glorificant.

LVII. Et licet beatitudine ipsâ potentur & fru-  
entur ex æquo omnes beati, neq̄ve in eo ullum discrimen sit,  
diversi tamen gradus erunt, tum poenæ positivæ, tum Glo-  
riæ, in dotibus quibusdam accidentalibus, & imprimis  
claritate & splendore corporum. Sed nos Illi, cujus  
gratiâ freti orsi sumus, filium Positionum rumpen-  
tes dicimus & tribuimus meritò

*GLORIAM SALVATORI!*



*Irutis satis ampla tuæ monumenta  
relinquis;*

*Religionis opus suscipe; victor eris.*

*ALBIS opes artesq̄ve NICRI mirabitur  
ISTER,*

*Cum tantum cernet Te rediisse Virum.*

Honori & amicitiaë CL. Dn. A. Resp.  
dabat

**Joh. Eberhardus Rösler,**

Laureaco - VVirtembergensis,  
SS. Th. & B. A. St.

Et

**E**T precor, ad **NICRU M** quicquid Tibi,  
quicquid ad **ALBIM**  
Musa propinavit, **DANUBIUS** ca-  
piat!

*Honori & amicitiae CL. A. dare  
voluit*

**JOH. CHRISTIANUS NEVV,**  
VVirtembergicus.





DS A 452

ULB Halle  
004 209 01X

3




1077

64h







POSITIONES  
IN  
Theologia nostrate  
ILLUSTRIORES,

*Adspirante Divinae Benignitatis Favonio,*

SUB UMBONE

*VIRI Summe Reverendi, Magnifici, Ampliſſ. atq; Excell.*  
DN. JOAN. DEUTSCHMANNI,  
SS. Theol. Doct. ejusdemq; P. P. Famigeratiſſimi,  
Facult. Theol. Senioris Venerandi, ut & Alumnorum  
Porentiſ. Elect. Saxoniae Ephori graviffimi,

*Domini, Fautoris, Mæcenatiſ, Præceptoris Studio-  
rumq; Promotoris cum observantia colendi, omnem vitam  
ſuſpiciendi,*

In Cathedra B. Lutheri

Audit. Majoris,

Placidæ eiꝰ ſolenni Eruditorum diſcuſſioni expoſitæ

à  
GEORGIO HEGYFALUSI, Hung.

S. S. S. C.

Die XXII. April. M. DC. XCII.

WITTENBERGÆ,

Literis Viduæ Matthæi Henckelii, Acad. Typogr.